DE VEGETABILIBUS CORPORIS HUMANI PARASITIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA ET
ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XI. MENSIS IANUARII ANNI MDCCCL
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOSEPHUS STRAHLER,
SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SVSCEPERUNT:
A. SCHACHT, MED. ET CHIR. DR.
R. HAUN, PHIL. STUD.
A. DZIEKANSKI, MED. STUD.

GRYPHIAE.
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.
MDCCCL.

JOSEPHO STRAHLER

FRATRI PATRUELI CARISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PUBLICUM

PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

OFFERT

AUCTOR.

Posteaquam tempore recentiori variis quae-
tionibus satis comprobatum atque demonstra-
um est, fungorum formationem in organismo
nimali provocare posse et causam et naturam
ndolemque formationis morborum, haec ipsa
es diligentissimum studium acutissimamque
nimi attentionem quum rerum naturalium in-
estigatorum tum medicorum in se convertit,
nde factum est, ut brevi tempore multifariis
bservationibus institutis hujus rei cognitio
naxima experientiae ceperit incrementa. Quae
uamvis ita sint, nihilo tamen secius magnus
ıtusque campus est apertus, in quo viri docti
el minutissimis quaestionibus decurrere pos-
nt. Ego quoque et jucunditate et utilitate
ei permotus pro mearum, si quid est in me,
rium facultate animum ad hanc rem diligen-
r attendi jamque occasione dissertationis con-

scribendae peropportune mihi oblata ea quae ips
et observationibus et disquisitionibus de hac re in
stitutis expertus doctusque sim paucis referr
animum lubenter induxi. Quidquid vero grati dis
sertationi meae fositan inest, debeo viro doctissim
Eichstedt, neque equidem possum, quin e
propter humanitatem ac benignitatem, qua mih
in exercitationibus microscopicis et dux e
praeceptor adfuit quam maximas pii ac sin
ceri animi agam gratias.

Jam prioribus temporibus plantulae in ani-
alibus observatae sunt. Ledermüller[1]) muscam de-
:ripsit ac delineavit, quae in aqua jacens confer-
s obtegebatur. Apud Wrisbergium[2]) invenimus
uscarum larvam, muco obductam naturali mole,
ıae dein lente aucta est. Apparebant pedunculi
ucoris cum insidentibus capitulis albis. Spallan-
ni[3]) dicit haec: l'ai trouvé ce fait entièrement
ai et j'ai remarqué cette particularité, c'est que
; ailes sont absolument exemptes de cette végé-
tion, probablement parce qu'elles sont naturellement
ès sèches. Jamais[4]) il n'est sorti aucun animal
ces plantes et jamais aucune d'elles ne s'est
angée en animal. — Quae conferva accuratius
scripta est a viro docto Ottone Friderico Müller[5]).

---

1) Mikroskopische Ergötzungen 1760. I. p. 90.
2) Obs. de animalculis infusoriis satura, Goettingae 1765. p. 31.
3) Opuscules de physique, Genève 1777. 1. p. 157.
4) eod. l. p. 158.
5) Neue Samml. d. Schrift. d. Königl. dänisch. Ges. d. Wiss. Copenhag. 1788. 3. p. 13.

Postea Meyer et Emmert parasitos vegetabiles invenerunt in bronchis corvi glandarii[6]), in bronchis cycni[7]) Jäger, Heusinger in ciconia[8]). Omnes tamen hae observationes non tales erant, ex quibus certo concludi posset, quae ratio interesset inter illa vegetabilia et morbos, in quibus erant deprehensa, et cujus essent momenti. Quin Rudolphi[9]) mucoris formationes in vivo corpore animali gigni non posse contendit. Postquam autem Bassi[10]) anno 1835 et paulo post Audouin[11]) cognoverunt, morbum erucae Bombycis mori, quem „Muscardine" Galli vocant, in eo positum esse, quod plantulae in illis insectis nascantur, inoculatione simul demonstrantes fungos ab erucis aegrotis in sanas translatos eundem efficere morbum, fieri non potuit, quin perscrutatores rerum naturalium atque medici animum ad hanc rem magis magisque attenderent, ita ut jam in similes status et in animalibus et in hominibus diligentius inquireretur. Ubiubi vero et quae vegetabiles formationes inventae sint, hoc loco enumerare longum est. Nonnulla tamen commemorabo.

---

6) Meckel's Archiv für Physiologie. I. 310.
7) ibid. II. 354.
8) Heusinger: Bericht von der Königl. zootom. Anstalt zu Würzburg. 1826. p. 29.
9) Physiologie. I. 292.
10) Bassi del mal del segno etc. Miolano 1837.
11) Recherches anatomiques et physiologiques sur la maladie contagieuse, qui attaque les vers à soie etc. Annales des sciences naturelles. Tom. VIII. p. 229. Nouvelles expériences sur la maladie etc. ibid. p. 257.

Hannover[12]) anno 1838 in tritonibus punctatis fungos invenit atque hos fungos in integros trans-atos crescere vidit. Ehrenberg[13]) in Salmone eper-ano Tremellam meteoricam observavit mortiferam-que eam esse cognovit. Deslongchamp[14]) in saccis ıërem conservantibus Anatis mollissimae observavit nucorem, Serrurier et Rousseau[15]) in aliis avibus, ·t in cervo axi et in Testudine indica. Laurent[16]) ›lantulam, quae a viro docto Hannovero detecta et ı v. d. Meyer Achlya prolifera denominata est, in ›vulis molluscorum invenit, Valentin[17]) in molluscis psis et in piscium ovulis. Unger[18]) eandem in ıonnullis piscibus observavit. — At vero etiam in ho-ıinibus fungi sunt observati. Schönlein[19]) primus orrigini lupinosae vegetabilem naturam attribuit, uamvis Remak[20]) structuram porrig. lup. jam prius ecte viderit. Fuchs[21]) autem contendit, non modo ı porrigine lupinosa (Favo vulgari F.) sed in om-ibus Favi generibus fungos exsistere eosque semet ı impetigine faciei plus, semel in psoriasi scrophu-

---

12) Mueller's Archiv. 1839. p. 338.
13) Fror. Not. 1839. Nro. 218. p. 314.
14) Ann. d. sc. nat. 1841. XV. p. 371.
15) L'institut, 1841. 393. Juillet. p. 230.
16) Valentin's Repert. 1840. p. 44.
7) Repert. 1841. p. 58.
18) Linnaea. T. XVII. Sct. II. p. 129.
19) Mueller's Archiv. 1839. p. 82.
20) Mediz. Zeitung. 1840. Nr. 16.
21) Die krankhaften Veränderg. der Haut etc. Band I. p. 509.

losa observasse. Porro Klenke[22]) in crusta lactea, lupo, in margine gangraenae ex decubitu fungos se reperisse contendit. Et ipse Langenbeck[23]) in crusta lactea et serpiginosa plantas se deprehendisse narrat. Gruby[24]) in mentagra (Sycosi W.) et in porrigine decalvante, Lebert[25]) aliquoties in ulceribus atonicis fungos se invenisse affirmant. Vegetabilis formatio in plica polonica a viro docto Günsburg[26]), a v. d. Eichstedt[27]) in pityriasi versicolore detecta est. Bennet[28]) in sputis ac pulmonibus hominis pneumothorace aegrotantis, in pleura hominis tuberculosi degenerata mucorem Bayer[29]) reperit. Etiam Remak[30]) in bronchiorum coagulis a pneumonicis ejectis partes cryptogamicas saepius se observasse dicit. Baum quoque et Litzmann et Eichstedt, praeceptores mei, in caverna feminae cujusdam gangraena pulmonum defunctae fungos repererunt. Iidem vero in tractus alimentarii tunica mucosa de-

---

22) Neue physiologische Abhandlungen. Leipzig 1843. p. 60.

23) Amtlicher Bericht über die 18te Versammlung der Aerzte und Naturforscher zu Erlangen. p. 160.

24) Gazette des hospitaux. 1842. p. 497. Gazette médicale. 1842. p. 589.

25) Robin, des végétaux qui croissent sur l'homme et sur les animaux vivants. p. 31.

26) Fror. Notiz. 1843. Nro. 581.

27) Fror. Not. 1846. Nr. 853. p. 270.

28) Mueller's Archiv. 1842. p. 295.

29) Froriep's Notizen. 1842. Nr. 492.

30) Diagnostische und pathogenetische Untersuchungen. p. 222.

tecti sunt. Langenbeck[31]) anno 1839 sectione cadaveris hominis typho abdominali defuncti instituta in exsudato pseudomembranoso, maxime oesophagum usque ad cardiam tegente fungos reperit innumerabiles, qui promiscue inter se coaluerant. Etiam in ulceribus intestinis similem materiam invenisse sibi visus est. Dr. Berg[32]), Vogel[33]) fere eodem tempore aphthas ex fungis constare observarunt. Hannover[34]) multos enumerat morbos, in quibus entophyta in tunica mucosa tractus alimentarii inprimis oesophagi se deprehendisse narrat. Boehmius[35]) primus in excrementis hominum cholera laborantium, qui magnam cerevisiae vel aquae saccharatae vel aquae vino permixtae copiam biberant, fungos invenit. Remak[36]) in suis ipsius faecibus fungos se observasse narrat, quotiescunque magna copia pomorum incoctorum, herbae acetariae, vini aciduli fruitus sit. Majorem fungorum copiam in diarrhoeis diversissimae originis invenit. Idem[37]) vel in integerrimorum hominum cavo oris praecipue per somnum multas confervas nasci contendit, tunicae mucosae vel dentibus adhaerentes. Gruby[38]) in morbo, qui in difficultate cibos sive compactos sive liquidos

---

31) Froriep's Notizen. 1839. Nr. 252. p. 146.
32) Mueller's Archiv. 1842. p. 201.
33) Allgemeine Zeitung für Chirurgie etc. Ann. 1841. Nr. 24. Gazette médicale. 1842. p. 234.
34) Mueller's Archiv. 1842. p. 287.
35) Die kranke Darmschleimhaut in der asiatischen Cholera. Berlin 1838. p. 57.
36) l. c. p. 226.
37) l. c. p. 222.
38) Robin. l. c. 46.

devorandi et sequente vomitu conspiciebatur, in substantia evomita fungos reperit. Etiam Busk [39]) in acidis liquoribus vomitu stato tempore recurrente ejectis observavit fungos. In acidis ventriculi contentis hominum carcinomate aegrotantium fungos detexerunt Remak [40]) et Vogel.

Primum nobis quaerendum est, num illae formationes in animalibus et hominibus obviae, quae habentur fungi, veri sint fungi, quod omnino satis certo constare non est cur negemus.

Neque in sano corpore animali neque in aegro ullum telae elementum invenitur, quod illis formationibus simile vel etiam congruum consonumque sit [41]).

Corpuscula autem rotunda et oblonga, diam. $\frac{1}{600}'''$, quae partim sunt solitaria, partim congregata, ordines horum corpusculorum in morem lineae margaritarum, fila ejusdem fere diametri, cujus illa sunt corpuscula, variae longitudinis, modo pellucida, modo nucleis ac segmentis praedita, modo simplicia, modo divisa in ramulos, simillima sunt iis fungorum formationibus, quae extra organismum crescunt. Denique experimentis demonstratum est, illas formationes etiam extra organismum eodem modo, quo vegetabilia, crescere.

Quibus rebus allatis quum in dubium vocari

---

[39]) ibid. p. 49.
[40]) l. c. p. 226.
[41]) Hoefle, Chemie und Mikroskop. p. 49.

non possit, fungos in corpore animali obvenire, deinceps nobis quaerendum est, qua ratione se referant ad morbos, in quibus deprehenduntur, et quae sint causae originis eorum atque auctus.

Experimentis novissimis satis constat, inter fermentationem semper fungum quendam (Torulam cerevisiae, Turpin) oriri, qui pro fermentationis progressu crescat, ita ut fermentationem et genesin hujus fungi eandem esse contendere liceat, cui quidem sententiae Liebig non adstipulatur. Jam vero in ventriculo fermentationem oriri posse modo ex alimentis ad fermentationem idoneis modo ex effectu ventriculi secretionis, quae in quibusdam morbis, praecipue in carcinomate perversa sit et ad fermentationem haud exiguum conferat, facile intelligi potest. Remak et Vogel materiam in superficie acidorum ventriculi contentorum, vomitu ejectorum, ventriculo carcinomate affecto, maximam partem ex fermentationis fungis constare observarunt. Huc pertinet observatio fungorum in excrementis hominum Cholera aegrotantium, qui multum cerevisiae biberant, deinde in urina hominis diabete mellito[42]) laborantis, in aliis excretionibus. Jam supra commemoravi, virum doctum Remak, quoties majore copia pomorum, vini aciduli, aliorum alimentorum fruitus fuerit, in faecibus suis fermentationis fungos reperisse, quos nunquam invenit, quoties consueta carnis et plantarum portione fruitus erat. Idem vel in cuniculi cujusdam et ventriculi et intestinorum

---

[42]) Müller's Archiv. 1842. p. 282.

contentis[43]) semper fungum invenit, Torulae cerevisiae simillimum. Jam multos fungos in corpore humano inventos ex fermentatione oriri, etiamsi haec non semper certo cognosci ac monstrari possit, satis perspicue redundat.

Nihilo tamen secius ultra modum abusi sunt fermentatione, ut quae sit causa fungorum formationis; quin adeo omnibus fungorum formationibus fermentationem supponendam esse putaverunt. Hoc vero inde subsequutum est, quod veram vocis „fermentationis" notionem, qualis in litteris est, non tenebant, diversos processus animales hac cum notione conjungentes, et fungos in materiis animalibus inventos plus minus Torulae cerevisiae similes esse videbant, ita ut illos haberent Torulae cerevisiae formas plus minus excultas. Est vero notio vocis „fermentationis" ultra modum dilatata. Ut certi quid notione fermentationis significetur et cogitetur neve obscuritas ac confusio notionum exsistant, vocem fermentationis de eo tantum processu usurpemus necesse est, quo saccharum Torula cerevisiae oriente in acidum carbonicum et spiritum vini dissolvitur. Porro plane falluntur, qui inde, quod illi fungi Torulae cerevisiae plus minus similes sint, eandem utrorumque originem agnosci posse putant. Haec vegetabilia simplicissimae suntformationes in regno vegetabili, quippe quae infimum gradum, initium repraesentent. In magna igitur simplicitate non magna potest exsistere diversitas; ex

---

[43]) l. c. p. 225.

formae diversitate vel minima jure diversitatem fungi conjicere possumus. Praeterea constat, ex fermentationis fungo alium fungum non oriri.

Porro, ut jam supra commemoravimus, fungi inveniuntur in materiis organicis sese dissolventibus et superficiei corporis et organorum internorum. Huc pertinent fungi observati in ulceribus externis, in gangraena senili, pulmonibus, pleura, bronchis, in ulceribus intestinis, faucibus, in tunica mucosa oris, intestinorum, oesophagi, in decursu variorum morborum; qui fungi maxime in iis observati sunt, qui morbis chronicis valde erant debilitati. Quare contendere licet, corporis debilitate facultatem assimilandi et regenerandi, vitalem, ut ita dicam „animalitatem" eo usque deminutam esse, ut materiae organicae principatui formationis animalis facile subduci et ad alios organismos procreandos consumi possent. Simulac igitur fungi semen ad illa quae dixi loca pervenerit, fundum sibi faustum ibi reperiet, quum fere nullo negotio illas materias organicas in sui ipsius formationem adducat ac convertat.

At omnes hi fungi aliquid habent fortuiti. In iisdem morbis modo obveniunt, modo non obveniunt. Praeterea semper in decursu morborum observantur, unde redundat existimandos eos esse morborum sequelas neque magni esse momenti.

Alios vero novimus fungos, qui in morbis quibusdam semper obvii eorum non sunt sequela sed

causa, in quibus ipsa morbi natura posita est, ita ut iis deletis deleatur morbus ipse.

Quicunque microscopio usus est, negare non potest, in porrigine lupinosa, aphthis, pityriasi versicolore fungos semper inveniri. Hujus generis fungi saepe in hominibus validis ac robustis deprehenduntur. Sunt sane quum alii tum Fuchs, qui porriginem lupinosam ex dyscrasia scrophulosa nasci putent. In nosocomio autem hujus urbis porriginem lupinosam in hominibus observavimus, in quibus nullum plane scrophuloseos indicium investigari poterat, id quod alii quoque confirmant. Fungi deinde in organismos sanos translati succreverunt. Quod ad animalia attinet, Hannover[44]) in dorso tritonis punctati confervas immaturas inoculaverat; XVI horis praeterlapsis confervae excreverant et ad magnitudinem 1‴ pervenerant. Remak[45]) germinationem fungi porriginis lupinosae in integra brachii sui cute effecit. Inde quod crusta paucis hebdomadibus post delapsa est, tantum elucet, fungum non fundum sibi faustum invenisse. Denique docuerunt experimentis, illos fungos extra organismum quoque germinare et crescere. Remak[46]) porriginis lupinosae fungum in pomis et sacchari solutione germinantem, aphtharum fungum in ichtyocollae solutione Hoenerkopf[47]) crescentem vidit.

---

44) Mueller's Archiv. 1839. p. 342.
45) l. c. p. 208.
46) l. c. p. 200 — 203.
47) Hoenerkopf, dissertatio de aphth. nat. Gryph. 1843. p. 47.

Quibus argumentis allatis facile intelligi potest, quid de generatione aequivoca iudicandum sit. — Quaestio generationis aequivocae ut ubique proponitur, quoties de organismorum simplicissimorum generatione agitur, ita hic quoque locum obtinet. Ut vero non habemus quod miremur, varias plantas in altis muris crescere, quippe quarum semina per aërem illuc translata esse sumamus, eadem ratione dubitare non possumus, quin sporuli, semina fungorum, quippe quae exsiccata perparvula sint et diu facultatem germinandi retineant, per aërem, aquam, alimenta ad animalia et homines pervenire possint. Ut vero permirum nobis videretur, si illa vegetabilia ex lapidibus et lignis nasci putarentur, aeque mirabile ac naturae repugnans est, illos fungos ita explicare, quasi materiae organicae in vegetabiles transmutatae sint. Jam igitur etiamsi tantum abest, ut generationem aequivocam omnino negem, ut non possim, quin concedam, nullam tamen causam adesse puto, quam propter hic eam sumamus.

Hoc vero ex iis quae diximus consequitur, fungos crescere ubicunque fundum crescendo aptum inveniant sive per aërem, aquam, alimenta sive per inoculationem illuc sint translati.

Jam in iis quae sequuntur meis ipsius observationibus nisus de illis disseram morbis, qui habentur verae fungorum formationes. Quibus morbis praeter alios adnumeratur „alopecia circumscripta“. Willan hunc morbum porrigini subjecit et propter effectum decalvantem morbum nominavit porriginem decalvantem.

Batemann[48]) morbum describit his verbis: Diese Varietät von porrigo bietet gewöhnlich keine anderen Kennzeichen dar als kahle Flecke von mehr weniger runder Form, auf denen kein einziges Haar stehen bleibt, während das die Flecke umgebende Haar so dicht wie gewöhnlich steht. Mahon[49]) alopeciam quandam circumscriptam commemoravit, quam eo maxime cognosci posse dicit, quod asperitates appareant. (aspérités sur des places arrondies ordinairement au cuir chevelu). Capillos in locis capillo nudis quasi ruptos esse 1—2‴ supra epidermidem. Asperitates similes esse cuti anserinae. Hunc morbum nominat „teigne tondante." Cazenave[50]) anno 1843 alopeciae speciem descripsit morbo illi „teigne tondante" valde similem nominavitque herpetem tonsurantem. Plurimi autem auctores „teigne tondante" (Mahon) et porriginem decalvantem (Willan) eundem esse morbum vel certe non valde discrepare existimarunt.

Anno 1843 Dr. Gruby tradidit academiae Parisiensi librum suum qui inscriptus est: Recherches sur une nouvelle espèce de cryptogames, qui constitue une maladie contagieuse de la peau, nommée „Porrigo decalvans". In squamulis albis, quae loca rotunda capillis nuda tegant, cryptogamos se obser-

---

48) Batemann's Abbildungen der Hautkrankheiten. Taf. XXI.

49) Recherches sur le siège et la nature des teignes. Paris 1829. — Trichophyton tonsurans. Der haarscheerende Schimmel von Malmsten. Aus dem Schwedischen von Creplin p. 4.

50) Robin l. c. p. 19.

vasse dicit, qui capillum circumdent, vaginam quasi circum capillos formantes[51]). Hunc morbum phytoalopeciam nominavit.

Anno 1844 P. H. Malmsten[52]) alopeciam quandam circumscriptam observavit, quae fere eadem esse videtur, quae illa teigne tondante, a v. d. Mahon descripta. Loca illa rotunda erant aspera, capilli 2‴ supra epidermidem quasi abscissi erant, circum capillos tumuli erant squamularum. Partes capillorum ex squamulis prominentes extractae si microscopio investigentur, inter capilli fibras sporidiorum copiam reperiri confirmat. Hunc morbum, quo distingueret a phytoalopecia, rhizophytoalopeciam nominavit.

Quum alopeciam circumscriptam observandi occasio mihi data esset nec vegetabilis ejus natura constituta sit, dissertationem scripturus hanc rem mihi quaerendam delegi.

In puella quadam duodecim annos nata hoc ipso tempore complura capitis loca apparent vel majora vel minora, plus minus rotunda, capillis plane nudata. Epidermis albicans, splendens est, maxime in majoribus locis, in minoribus et maxime quidem in margine tecta est albis squamulis, quarum copia non major est quam quae in pueris, qui non quotidie pectuntur. Nec unquam capillos ruptos nec tumulos squamularum inveni. Is igitur morbus porrigini decalvanti subjiciendus est. — Aestate novissima Exp. Eichstedt in squamulis illis sporidia con-

51) Oestreich. Mediz. Wochenschrift. Nr. 43. 1843.
52) l. c. p. 8.

glomerata semel se vidisse, sed paulo post nihil amplius invenisse confirmat. Auxilio hujus viri doctiss. adjutus ego per tres hebdomades et squamulas et capillos cujusque loci perscrutatus sum nec tamen quidquam inveni. Quin adeo cautum est, ut puella juberetur pectine abstinere per aliquod tempus. Nullum tamen inde fructum cepimus. — A fungis investigandis abstiti, quia, etiamsi postea fungos reperissem, minime contendere licebat, naturam morbi esse vegetabilem. Et ipse vir doctus Max. Schultze, qui saepius in eadem puella quaestiones instituit, nihil fungorum se reperisse me certiorem fecit. Fungos quidem obvenire, ut negem, tantum abest, ut firme asseverem, quum ipse Exp. Eichstedt eos repererit. Omnino vero fortuitos esse puto. Hoc tamen pro certo et exploratissimo statuere vetor quum eo, quod ipse non observavi, num forte novissimo tempore morbus progressus adhuc aliquot fecerit, tum quia non est, cur cogitari nequeat, morbum jam finitum fuisse tum quum ego quaestiones instituerim.

Illam retis formationem in radice capillorum, quam Malmsten in morbo rhizophytoalopecia observavit, et ipse observavi. Malmsten [53]) autem contendens eam in integris capillis non obvenire, sed aliquid morbosi esse videri, valde fallitur. Retis enim formatio in integris quoque capillis observari potest conformaturque terminis singularum serierum epidermidis cellularum.

Iis porro morbis, qui dicuntur verae fungorum

---

[53]) l. c. p. 11.

ormationes, adnumeratur plica polonica. Guens-urg anno 1843 promulgavit, naturam illius morbi sse fungum, cujus locum esse memorat inter vagi-am et bulbum pili et in pili substantia medullari, tque etiam in superficie totius pili. Et ipse Walther[54]) unc fungum invenit. Hoc tamen statuendum esse uto, fungum hic non esse propriam naturam morbi ed sequelam, quoniam alteri sententiae morbi de-ursus repugnat et quia ex perversa Polonorum pinione morbo imminente caput pannis laneis in-olvitur pectinisque usu abstinetur, unde quum sor-les nascantur facile locus datur aptus fungo ad rescendum. Praeterea alii veluti Ill. Baum[55]) et el. Muentur[56]) fungum non repererunt.

Gruby[57]) deinde fungos in folliculo pili speciem eculiarem mentagrae efficere putat. Hi tamen ungi fortuito obvenisse videntur, quia semel tan-um observati sunt. In hoc morbo, si vegetabilis sset natura, semper fungi reperirentur necesse esset.

Inter illos vero morbos, qui in fungorum for-atione revera positi sunt, referenda est primum orrigo lupinosa. Longum est, hoc loco accura-ius explicare, quomodo morbus in conspectum ve-iat et qualis sit fungorum forma. Fungum semper eperiri, inter omnes constat. Jam supra comme-

---

54) Mueller's Archiv. 1844. p. 411 — 418, 1846. p. 140 — 170.
55) Hoenerkopff l. c. p. 7.
56) Mueller's Archiv. 1845. p. 42.
57) Gazette des hôpitaux. 1842. p. 497.

moravi, v. d. Remak fungum in brachium translatum crescentem vidisse. Praeter quod alia experimenta exstant. Quoties ipse in nosocomio h. u. morbum observavi — et saepe quidem observandi occasio mihi data est — fere semper certior factus sum et ipse quoque cognovi morbum ab alio ad alium esse translatum. Pater quidam infantes duos in nosocomium porrig. lup. laborantes adduxit narrans, ceteros quatuor, qui domi essent, eodem morbo esse affectos, alterum ab altero accepisse, quia alternis vicibus in uno dormivissent lecto. Aeque puella quaedam hoc morbo affecta est, quia idem pecten in ejus capite adhibitus est, quo alia puella porrigine lupinosa laborans usa erat. Permultos praeterea vidi porrig. lupin. affectos, qui validi ac robusti erant et in quibus nullum scrophuloseos aliusve dyscraseos indicium reperiri poterat.

Quamvis autem constet, fungum, AchorionSchoenleini, causam et naturam esse morbi, tamen de loco fungi et de causa capillorum defluentium inter se dissentiunt medici. Remak ipse confitetur, se proprium[58]) fungi locum constituere nequire. Gruby[59]) autem affectionem bulbi et folliculi pilorum secundariam esse contendit. Lebert[60]) dicit haec: les bulbes sont en général bien plus profondement implantés dans la peau que la base des favi. Robin[61]) autem: Ils (les favus) sont logés dans une dépres-

58) l. c. 211.

59) Muellers Archiv 1842, p. 24.

60) Physiologie pathologique. Tom. II. p. 484.

61) l. c. p. 18.

ion de la peau et non dans les follicules ou sébaés, qu'ils n'atteignent jamais. Jam proprium fungorum locum in pilis esse statuendum, ex eo satis lucet, quod morbus nusquam nisi in partibus corporis pilosis exsistit et una cum pilis defluentibus morbo finis imponitur. Quod Lebert[62]) narrat, fungum etiam in glande penis obvenisse, aliis praeterea exemplis comprobetur necesse est. Observationibus autem ope microscopii institutis satis conspici potest, locum fungorum proprium non esse in epidermide. Videmus crustis circulos formari concentricos, in quorum centro fere semper unus vel plures capilli surgunt. Qua crusta caute soluta ubi capillos extractos microscopio perscrutamur — vel partem cutis excidere et pili radicem retegere potes — locum inter pilum ipsum et vaginam interiorem sporidiis impletum videmus (Fig. 2.), quae sursum sensim pedetentimque in epidermidem transeunt et circum capillos diffunduntur, quo efficitur, ut illa crustarum forma concentrica exsistat. Crusta autem aliqua sublata, capillo vero non extracto morbus minime est sublatus; radix enim fungorum remansit. Paucis post diebus fungum iuxta capillum denuo excrescentem videmus. Hunc autem fungi locum non esse fortuitum, eo certior factus sum, quod fere in omnibus capillis, quos perscrutatus sum, illam formationem reperi. Quam rem quod nonnulli veluti Simon[63]) in dubium vocarunt, eo factum est, quod forsitan quemlibet capillum non modo affectum sed

---

[62]) l. c. p. 477.

[63]) Die Hautkrankheiten durch anatomische Untersuchung. erläutert. p. 305. v. Simon.

sanum perscrutati sunt. Omnis vero rei cardo ver titur in eo, ut quaestio instituatur de capillis affecti qui eo cognoscuntur, quod vel pusilla virium con tentione extrahi possunt.

Qua re facile intelligi potest, quae causa s capillorum decidentium. Plurimi auctores capillo compressione et atrophia bulbi crustis affecta dec dere confirmant. Lebert[64]) dicit haec: mais le ma vais état et l'atrophie des cheveux s'expliquent p la compression exercée sur eux par les favi; R bin[65]) autem: ils (les favus) causent divers ac dents, excoriations, alopécie par compression atrophie des bulbes pileux etc.

Quum pilorum vagina interior sporidiis imple sit, folliculi capillorum extendantur necesse est, qu efficitur, ut capilli non amplius arcte et adstric in cute teneantur et vi vel minima extrahantur v defluant.

Porro in fungorum formatione positae sun aphthae. Nullum fere nomen morbi usquam ta lem notionum confusionem effecit, qualem vox „aph thae". Jam Hippocrates[66]) illa voce usus est eaqu in morbis neonatorum, ut aphthas pro eo morb habuisse videatur, quem nunc voce „Schwämmchen significamus. Post Hippocratem autem omnes or tunicae mucosae affectiones voci aphthae subjec runt, ut ulcera et aphthas idem esse putarent. I

64) l. c. p. 484.
65) l. c. p. 19.
66) Aphor. Sect. III. Nro. 24.

Parisiensibus parvulorum expositorum hospitiis [67]) circiter anno 1740 quum permulti parvuli morbo „Muguet“ (Schwämmchen) mortui esse putarentur, regia medicorum societas praemium proposuit quo ornaretur qui optime disseruisset de morbo aphtharum. Sic etiamsi natura aphtharum non detecta est, id tamen effectum est, ut comprobaretur, errare eos, qui morbi naturam esse vesiculosam, pustulosam, ulcerativam contenderent et indagarentur ejus causae praedisponentes. Morbi autem naturam esse plastico - exsudativam inprimis Guersent, Blache [68]), Billard [69]), Valleix [70]) divulgarunt quos plurimi medici secuti sunt. Quamvis autem ore populi ejus morbi natura nomine fungorum (Schwämme) iam diu recte significata esset, primus tamen Jahn [71]) iun. aphthas ita descripsit, ut maxime earum naturae satisfaceret. Tandem anno 1840 Berg [72]) et paulo post Gruby [73]) et Vogel aphthas ex fungis constare observarunt.

Jam fungi negari quidem non amplius possunt, attamen a multis fortuiti putantur. Plurimi enim medici sumunt inflammationem, qua exsudatum albuminosum efficiatur. In hoc autem exsudato fun-

---

67) Tenon's mémoire sur les hôpitaux de Paris.
68) Dictionnaire d. Méd. en 18 Vol. 1826. Sec. Edit. 1833 — 1839. Art. Aphthae.
69) Traité des maladies des enfans. 1823.
70) Clinique des maladies des enfans nouveau nés 1838.
71) Hufeland's Journal. 1826. (Juni, Juli.)
72) Svenska Läkaresällskapets Årsberättelse. 1841. p. 70.
73) La Clinique des hôpitaux d'enfans. Deuxième année. 1842. Froriep's Notiz. April 1842. p. 128.

gos sic formari, ut in quovis exsudato albumen continente, quod aëri expositum sit. Priusquam de apthbarum natura disseram, earum notio mihi statuenda est.

Aphthae apparent tegumentum tunicae mucosae linguae, oris, faucium, oesophagi, quod tegumentum nascitur forma singularum macularum lactearum, quae sensim multiplicantur et diffunduntnr, ita ut tandem membranam plus minus crassam, caseosam, flavescentem aut fuscam forment, quae initio fixe inhaeret, nonnullis diebus post solvitur iterumque eadem ratione formari potest. Saepissime neonati et lactentes morbo afficiuntur.

Aphthae igitur ab aliis similibus morbis sunt distinguendae, primum a variis linguae tegumentis digestionis, quae efficiuntur tunicae mucosae linguae secretione mutata nec ordiuntur a punctillis lacteis, sed aequaliter sunt diffusa arcteque linguae adhaerent. Aphthae deinde a diphtheritide et angina membranacea sunt distinguendae, porro a stomatitide et vesiculari et folliculari, quae ipsae illam quam dixi notionum confusionem effecerunt, denique ab ulceribus scorbuticis, syphiliticis, ab exanthematibus, veluti eczemate, herpete, urticaria, aliis.

Illae autem aphthae, quas supra descripsi, constant ex fungorum formatione, fungi sunt morbus ipse. Aphthas non ab inflammatione proficisci, ex eo satis elucet, quod saepe exsistunt nullo inflammationis indicio apparente. Negari quidem non potest, in aphthis haud raro tunicam oris mucosam rubefactam conspici, hoc tamen effectum est irritatione, quam aphthae efficiunt. Porro aphthae saepe jam nascentes una cum inflammatione conjunctae

esse possunt vel inflammatione praegressa; tum vero non simplices aphthae adsunt sed cum aliis morbis complicatae. Hae duae res inprimis ad inflammationem sumendam induxerunt. Fungum autem nihil esse fortuiti, primum eo satis conspici potest, quod semper invenitur atque jam in levissimis aphtharum vestigiis. Aphtharum nascentium, singulis tantum maculis lacteis apparentibus, partem aliquam microscopio perscrutans filamenta sporidiaque dense permixta cognovi. Fungus igitur aphtharum, si esset fortuitus, certe in aphthis nascentibus deesse posset. Atque Hoenerkopff[74]) dicit haec: Si fortuita (fila) tantum inflammationem cum cito exsudationis exitu sequerentur, id quod in inflammatione nascitur, exsudatum, in ipsa morbi acme, si cavum oris albida illa fungorum massa arcte obductum est, uberrimum esse oporteret; sed minime; potius copiositate fungorum illud exsudatum rarius est. Fungos vero naturam esse morbi porro ex eo apparet, quod in sanos pueros atque mammas translati crescunt. Jam multi medici aphthas, priusquam natura earum esset cognita, contagiosas esse observarunt. Lentin[75]) dicit haec: „Inest quoque pejoris notae aphthis aliquid pestiferi, — transit autem haec infectio mutuo, tam a nutricis uberibus ad fauces lactentis, quam ab his ad illa.“ Wendt:[76]) „Sie theilen sich leicht den Warzen der Säugenden mit.“ Betschler[77]) narrat, nutrici cuidam aphthas esse

---

74) l. c. p. 45.
75) de morb. miliar. infant. p. 278.
76) Die Kinderkrankheit. 1823. p. 95.
77) Annal. der klinisch. Anstalt zu Breslau. 1832.

communicatas et ab ea ipsa iterum alium parvulum esse infectum. Ill. Baum, praecept. m., aphthas ab infantis ore mammae nutricis communicatas microscopio cognovit. Berg [78]) autem in quatuor infantibus aliquid aphtharum inter genas et maxillam superiorem posteriorem collocaverat; paucis diebus post in omnibus aphthae exstiterant. Praeterea aphthas extra organismum quoque Berg [79]) in variis fluidis, Hoenerkopff in ichthyocollae solutione crescentes viderunt. — Quod ad aphtharum aetiologiam attinet, causae remotae habendae sunt aër humidus et corruptus, lac malum, indigestio, refrigeratio, alia. Majoris autem momenti est dispositio individualis. Neonatorum animalis ut ita dicam vitalitas nondum satis est exculta, organismus quasi fluctuat inter animalitatem et vegetabilitatem, quo efficitur, ut humores facile aliis naturae legibus pareant; torpor autem infantium universalis et somnus frequens eo quoque fungorum formationem adjuvant, quod motu oris deficiente fungis occasio insidendi datur. Quare vulgo dicitur: „Die Kinder schlafen sich die Schwämmchen ein." Jam vero quum aphthae irritatione locali majorem adducant vitalitatem, contendere licet, eam irritationem ne dicam inflammationem — veluti inflammationem et suppurationem corporibus alienis in organismo sitis effectas — quasi pro medicamento aphtharum esse habendam.

Aphthae interdum in adultis quoque obveniunt.

78) Ueber die Schwämmchen bei Kindern. p. 78.
79) l. c. p. 15.

ibi autem semper sequela sunt morbi cujusdam vires exhaurientis.

Tertius vero morbus, quem in fungorum formatione positum esse censeo, est pityriasis versicolor. Pityriasis nominatus est hic morbus inde quod in eo saepissime talis exsistit cutis desquamatio, ut epidermidis squamulae furfuris (πίτυρον) instar decidant. Cujus morbi speciem aliquam Willan[80]) posuit pityriasin versicolorem, quod cutis se desquamans maculas plus minus flavas aut e fusco flavas prae se fert. Quum autem cutis desquamatio nonnunquam non sit observata, P. Frank[81]), Rayer[82]), Fuchs[83]) morbum Cloasma nominarunt. Alibert[84]) et Plenk[85]) hunc morbum inter Ephelides referunt. Ille priore tempore eum ephelidem hepaticam vocavit, posteriore pannum hepaticum.

Anno 1846 hunc morbum ex fungis constare primus observavit Exp. Eichstedt[86]), qui ad explorationem microscopicam eo commovebatur, quod vir illo morbo laborans et doctissimum Eichstedt consulens ab altero viro, quocum in uno lecto dor-

---

80) On cutaneous Diseases. Vol. I. p. 192.
81) I. p. 306.
82) Rayer's Hautkrankheit. übers. v. Stannius. T. III. p. 202.
83) l. c. I. p. 112.
84) Alibert's Vorlesungen über die Krankheiten d. Haut, herausgegeben v. Daynac, deutsch v. Bloest. II. p. 454.
85) Doctrin. de morb. cutan. p. 16.
86) Fror. Notiz. 1846. Nro. 853.

mivisset, se hunc morbum accepisse ipsumque cum fratre suo eundem communicasse dixit.

Jam apparent in hoc morbo maculae plus minus flavae vel e fusco flavae, quae morbo oriente parvae prodeunt, sensim autem pedetentimque augentur et confluentes maculas plus minus majores conformant. Fere semper in locis affectis desquamatio animadvertitur, quae cute pruriente et aegris eam radentibus non dico efficitur sed augetur. Morbus plerumque in pectore et alvo observatur, attamen etiam in extremitatibus. Nunquam vero — et multos quidem morbos in nosocomio h. u. observandi facultas mihi data est — in locis vestibus non obtectis eum vidi. Nec unquam ante aetatem pubertatis neque in feminis observavi. Quod in his morbum non vidi, maximam partem earum pudicitiae tribuendum esse opinor. Ceterum morbus haud raro invenitur; saepe eum in amicis meis reperi. Sed quum morbus saepe haud ita late extensus sit nec valde molestus, raro medicus consulitur. Auctumno et hieme plerumque deminuitur, ineunte autem vere iterum crescit.

Epidermidis squamulae in locis affectis cultro abrasae si microscopio suppositae sunt, passim cellulae rotundae ac dense aggregatae observantur, quae pro sporidiis habendae sunt. Apparent fila multipliciter torta et inter se nexa, passim in ramulos divisa.

Ut vero fila illa et corpuscula rotunda plane cognosci possint neve permutatio filorum cum plicis squamarum epidermidis fiat, aliqua pars liquoris ammon. caust. addenda est, quippe qui epidermidis

cellulas perspicuas reddat, fila et sporidia non laedens. Quo addito corpuscula rotunda binis adumbrata lineis concentricis conspiciuntur (Fig. 3), quarum interior non statim perspicue animadvertitur, microscopii autem ad objectum positione mutata plerumque perspicua fit.

Eadem ratione fila magis in lucem proferuntur. Simplicibus lineis ea terminari nec contenti quid habere nec unquam articulata neque parietibus divisa esse videmus. Fila ex singulis illis corpusculis nasci facile potest cognosci. Subtiliora atque breviora sunt quam fila aphtharum et porriginis lupinosae. — Ipse ego fila fungi pityriasis versicoloris mensus diametri inveni hujus: 0,00124‴ —0,00142‴. Sporidiorum diametros est et minor quam 0,00124‴ et major quam 0,00142‴. Diametros autem filorum fungi porriginis lupinosae est haec: 0,00166‴ — 0,00202‴. Id tamen respiciendum est, liquorem ammon. caust. adhibitum aliquam vim in mutandam crassitudinem habere posse. Quod ad sedem fungi attinet, inter epithelii lamellas situs est fungus. Sporidia autem praecipue circum ductus excretorios cutis glandularum accumulata esse videntur, quae quam hujus morbi provinciam in se susceptam habeant, observationibus abhinc instituendis est constituendum. Illis corpusculis rotundis dense concumbentibus maxime calor flavus epidermidis efficitur.

Jam vero fungum ad naturam morbi multum pertinere conjicere licet ex eo, quod semper invenitur id quod inter alios Simon [87]) confirmat. Fungus

[87]) l. c. p. 311.

quidem haud facile reperiri potest, et erunt, qui, quamvis microscopii usus iis bene cognitus et consuetus sit, fungum forte non reperiant. Deinde observationibus certior factus sum, morbum esse nonnisi localem, affectiones hepaticas vel alias minime in causis esse hujus morbi. Invenitur in hominibus plane validis ac robustis. — Quare locali curatione, solutione hydrarg. bichlorat. adhibita semper eum evanescentem vidi. Tum complures illo morbo laborantes eum se ab altero accepisse asseverarunt.

Id igitur restat, ut ipsis experimentis doceatur, fungum extra organismum quoque et in sanos homines translatum crescere. Equidem complura instituti experimenta necdum tamen certi quidquam afferre possum.

Explicatio tabulae.

Fig. I. pilus sanus. *a.* pilus ipse. *b.* vagina p. inter. *c* vag. pil. exter.

Fig. II. pilus porrig. lupinos. affectus. *a.* pilus ipse. *b.* vag. inter. sporidiis impleta. *c.* vag. exter. *d.* locus, quo sporidia in epidermidem diffunduntur.

Fig. III. Fila et sporidia fungi pityriasis versicoloris trecenties amplificata.

VITA.

Ego Josephus Strahler natus sum Oppolii, Silesiae superioris oppido, anno huj. saec. XXV die XI Januarii, patre Jos. Strahler iam diu defuncto, matre Rosalia e gente Greipner. Decem annos natus gymnasium Oppoliense adii. Auctumno ann. 1844 testimonio maturitatis legitime impetrato Vratislaviam me contuli ibique initio mens. Novembr. ejusd. ann. ab Ill. Pohl, Rectore magnifico, inter cives academicos receptus et ab Ill. Schneider, t. t. Decano, philosophiae studiosis adscriptus sum. Per quatuor semestria ibi audivi:

Ill. Pohl, Ill. Kummer, Ill. Branis, Ill. Müller, Ill. de Boguslawsky, Ill. Goeppert, Ill. Glocker, Ill. Duflos, Ill. Frankenhain, Ill. Stenzel, Ill. Kenngott, Ill. Henschel, Ill. Barkow. De Boguslawsky munus adjutoris in specula astronomica in me contulit, quo per octo circiter menses functus sum. Tempore autumnali anni 1846 Gryphiam me contuli ibique ab Ill. Vogt, t. fasces academicas tenente, in civium academ. numerum et ab Ill. Sahulzte, decano maxime spectabili, in ordinem medicorum receptus sum. Per triennium audivi praelectiones apud viros hos:

Ill. Hünefeld, Cel. F. Schulze, Ill. S. Schultze, Cel. Laurer, Ill. Litzmann, Ill. Baum, Ill. Berndt, Exp. Eichstedt, Exp. Glubrecht. Munere medici inferioris in clinico chirurgic. et ophthalm. per unum semestre functus sum.

Omnibus praeceptoribus meis dilectissimis pio gratoque animo gratias quas possum maximas ago.

Jamjam legitimis tentaminibus et examinibus superatis spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis summi in Medicina, Chirurgia et Arte obstetricia in me conferantur honores.

THESES.

I.

Quod in astronomia telescopium, microscopium in medicina.

II.

Extractio cataractae praeferenda est depressioni.

III.

In herniotomia saccus hernialis quam rarissime est incidendus.

IV.

Praeceptum vitae conservandae summum est summa contentio.

V.

Functiones animi a materia separatae cogitari non possunt.

VI.

Scientiae naturales potius quam antiqui scriptores in gymnasiis tractandae sunt.

Fig. I.



Fig. II.




Fig. III.

